

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XVI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Medicinam] Per fugium, solatium, portus, medicina, remedium vulneris, eodem spectant; quibus nominibus Cicero vitur in hac epistola.

Doloris obliuionem] Aberrationem quandam a dolore. sic enim appellauit lib. 12. ad Attic epist. 38. *Si, qui me, inquit, fractum esse animo, et debilitatum putant, sciant, quid litterarum et cuius generis conficiam; credo, si modo homines sint, existiment me, siue ira leuatus sim, ut animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse; siue hanc aberrationem a dolore de legerim, quae maxime liberalissima, doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere.*

Quod si id egissemus] Si id vtrique nostrum curae fuisset, vt vna essemus.

Propter quotidianos metus] Qui enim quotidie timet, non modo non agit, sed ne cogitat quidem ea, quae agenda essent.

Omne tempus] Post suum a Thesfalica pugna reditum in Italiam.

Offenderet] Offenderet quidem, sed non tam grauius, nam, si effemus vna; teque non ita, vt horis omnibus timeo, male affectum viderem; et minus angerer.

Moeror meus] Tu quoque leuiorem, quam nunc, ex moerore meo molestiam praefens fusciperes. amor enim maiora fingit omnia.

Consequamur] Non dicit, curemus, sed, consequamur. situm enim id erat in vtriusque potestate. paullo ante, *nec mehercule, inquit, intelligo, quid impediatur.*

Aptius] Ne tua me valetudo, te moeror meus offendant.

EPISTOLAE XVI. ARGUMENTVM.

Moerentem Titium interitu filii consolatur. Orditur autem primum a dolore suo; quia communicatio doloris quasi quaedam consolatio est: deinde suam commemorat beneuolentiam, qua commotus ad consolandum aggreditur: postremo, languentem amicum spe confirmat, cum opem afflicto aliquam pollicetur. Tres igitur partes tamquam prooemii loco sunt. Consolatio autem multiplex est et copiosa, ab ingenii doctrinaeque fontibus derivata. Angeris interitu filii. Quid? tibiue soli ante diem eripiuntur filii? nascimur omnes ea lege, plurimis vt afficiamur incommodis; itaque non debes aut propriam et praecipuam conditionem postulare, aut communem recusare. quis porro quod nullo vitare consilio potest, id cum euenerit, angatur? haec si ratio parum ad minuendam sollicitudinem proficit; adde exempla, quaeque aliis eadem, aut similia contigerint, animadverte; ne nimum isto casu, quasi proprium tibi fortuna vulnus insixerit, ingemiscas. Haec, atque huius generis alia, vt ad leniendam dolorem vehementer apta, litterarum monumentis mandanda sapientissimi homines consueverunt: eaque nos in ore semper atque in animo habere debemus: sed nulla magis consolatio proficiet, quam si miserias

horum temporum, et statum nostrae ciuitatis tibi ante oculos propones, quis enim, cum probitati, aut bonis artibus, atque adeo libertati et saluti nihil iam relictum sit loci, filios habere cupiat, ac non potius beatum se, quia nullos omnino susceperit, existimet? sin aliquis eos amiserit, non ille quidem propterea beatus est, (nec enim gaudere debemus liberorum interitu, neque id natura patitur,) sed certe minus miser, quam si eisdem, stante, aut saltem non penitus euersa republica, perdidisset. Age, concedis haec esse vera, nec infeliciter cum iis esse actum, qui tam numeris temporibus a vita discesserunt: sed incommodo tuo moeres liberorum suauitate priuatus. Fateor id quidem acerbum esse: verumtamen cum te antea semper et priuatis in rebus et publicis praestitisti, tuenda tibi ut sit grauitas, et constantiae seruendum. Venit etiam in mentem, ideo te fortasse cruciari, quod eos, qui mortui sunt, versari in inferis putes. Mihi vero, quod saepissime legi, et audiui, vel miseria nulla videtur esse in morte, si caret sensu; vel si residet in ea sensus, immortalitas potius appellanda, quam mors. Verum finge, in seorsos esse, qui occiderunt, nihil in morte grauius esse potest, quam quae reipublicae impendent. Postremo, cum omnes luctus vetustate tolerant, impetret statim ratio, quod impetratura aliquando dies est. Quo anno scripta, non liquet: mihi tamen post Pharsalicum scripta praerium videtur ex iis verbis: bona, aut denique aliqua republica, quod ante victum Pompeium, ut opinor, non diceret. Eodem illud spectat: hoc grauissimo, et pestilentissimo anno. Et illud: quid est enim iam non modo pudori, probitati virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci?

EXPLANATIO.

Esse vnus] Non dissimile principium epist. 18.

Tantum cepi doloris] Hoc ipso iam incipit consolari. nam doloris communicatio solatii nonnihil afferre solet. lib. 4. epist. 6. *Quantum* inquit, *praesens me adiuuare poteris, et consolando, et prope aequae dolendo, facile ex eo intelligo.* Sic Sulpicius lib. 4. epist. 5.

Longius] Dolemus vterque, sed impari dolore; cum tu filium lugeas, ego tuo dolore doleam.

Tandiu] Non statim igitur eum consolatus est, audito interitu eius filii.

Peruulgata] Quae patet omnibus: sed nos propriam quandam e

statu nostrae ciuitatis consolationem capere debemus; qui eiusmodi est, ut beatissimi videantur, qui liberos non susceperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua republica perdidissent. Consolatio haec a communi omnium hominum conditione sumitur, ut epist. 18. et lib. 6. epist. 6. altera, quae sequitur proxima, a temporum statu: quod idem notauimus infra, in epist. 18.

Ea lege natos] Interpretatio antecedentium verborum.

Vt omnibus velis fortunae proposita sit vita nostra] Quod etiam senarius ille Naeuii poetae docet:

Pati

Pati necesse est multa mortalem mala.

Accidisse] Cum aduersi aliquid nobis accidit, euenta aliorum memoria repetamus.

Neque hae ERN. Haec] Consolationem vnā proposuit; deinde subiunxit, *haec*, quasi non vnā solam proposuisset. verum, quae consolationis vnus partes sunt, *consolationes* appellat. partes autem hae sunt, vna, *homines nos ut esse meminerimus*; altera, *neque esse recusandum*; tertia, *ne tam grauitur*; postrema, *euentisque aliorum*.

Vsurpatae] In sermonibus vsurpatae, atque etiam scriptis consignatae. nam *vsurpari* dicitur, quod vsitatum antea, sermonibus refertur, vt Phil. 2. c. 14. *Quod si te in iudicium quis adducat, vsurpet. que illud Cassianum, Cui bono fuerit. et alibi.*

Memoriaeque litteris proditae] Scriptis ab hominum obliuione vindicatae. Posiuit idem aliis modis, vt, *memoriae proditae, litteris proditae*. verum, *memoriae litteris proditae*, ita dixit, quasi, memoriae proditae litterarum adiumento.

Status ipse nostrae ciuitatis] Quem intuens diligere vitam nemo debet.

Aut denique aliqua] Ostendit, nullam esse rempublicam. quo adducor, vt post interitum Pompeii scriptam epistolam existimem.

Tuum desiderium] Quia desideras, quos amisisti.

Tuarum rerum cogitatione] Non puto, *tuarum rerum*, de fortunis dici, sed de liberis immatura morte ereptis: vt sit, *tuarum rerum*, pro, *tuorum incommodorum*: quod in-

dicant et quae antecedunt, et quae sequuntur.

Vniuersum] Dixit iam, *status adhibere aliquam modicam consolationem, quae leuare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset*. *Tua*, inquit, causa si dolens, qui cares iis, quos dilexisti: prorsus tibi istum dolorem euelli posse non arbitror: haeret enim quodammodo in ipsa natura, quae amorem quendam in ea, quae procreata sunt, cunctis ingenerauit animantibus.

Quae magis amoris est] Qui enim sua potius, quam aliorum causa angitur, vere non amat. contra, id magis amoris est, aliorum miseras ipsorum causa lugere, non nostra.

Nihil mali esse in morte — quae non sentiat] Haec se Cicero legisse dicit. legerat autem cum aliorum alia, tum illud Xenophontis lib. 8. c. 7. Cyri paediae de ipso Cyro moriente: cuius haec sunt verba ad filios: *Ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἤδη ἔσομαι, ὡς μηδὲν ἂν ἐτι κακὸν παθεῖν, μήτε ἢν μετὰ τῷ θεῷ γένωμαι, μήτε ἢν μηδὲν ἐτι ᾶ*. Eandem sententiam, vt auctore Lactantio lib. 3. c. 19. cognouimus, libro de Legibus incerto expressit Cicero his verbis: *Gratulemur nobis, quoniam mors aut meliorem, quam quae est in vita, aut certe non deterio-rem est allatura statum. nam sine corpore, animo vigente, diuina est vita; sensu carenti nihil profectus est mali*. Et in Hortensio, apud Augustinum lib. 14. Trin. c. vlt. *Magna spes est, aut si hoc, quod sentinus et sapius, mortale et caducum est, iucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occa-*
sum,

sum, neque moleſtam exſtinctionem, et quaſi quietem vitae fore: aut ſi, vt antiquis philoſophis, hisque maximis, longeque clariffimis placuit, aeternos animos, ac diuinos habemus: ſic exſtitmandum eſt, quo magis hi fuerint ſemper in cuſu, id eſt in ratione et inueſtigandi cupiditate, et quo minus ſe admiscuerint, atque implicauerint hominum vitiiis, atque erroribus, hoc illis faciliorem adſenſum, et redditum in caelum fore.

Si reſideat ſenſus] Quod ſenſere Pherecydes, Pythagoras, Socrates, Plato, alii poſtea. Tuſc. 1. idque ipſe Cicero comprobatur in libro de Senectute, ex Catonis Cenſorii perſona. in oratione autem pro Archia c. 12. dubitare videtur his verbis: *Haec ſiue a meo ſenſu poſt mortem abſitura eſt, ſiue, vt ſapientiſſimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinabit: nunc quidem certe cogitatione quadam ſpeque delector.*

Sin ſit amiſſus] Qua in ſententia maxime fuit Epicurus; cum ita diſputaret: *Mors nihil ad nos. nam quod diſſolutum eſt, ſenſu caret: quod ſenſu caret, nihil ad nos.* Sextus Empiricus lib. 3. Pyrrh. hypot. c. 24.

Reliquerit] A vita diſcedens.

Deceptus] Tamquam aliquo bono priuatus.

Peftilentiſſimo] Quo, tamquam peſte aliqua, occiderunt.

Ne quid iis, quos amaſti, mali putes contigiſſe] Quod putare debes tribus de cauſis, vel ſi reſideat in morte ſenſus, vel ſi cum corporibus animi ſimul intereant, vel quod ea reipublica impendeant,

quae qui reliquerit, nullo modo deceptus eſſe videatur.

Cura doloris tui] Cura illa, quia doles tua cauſa.

Non cum illis] Non enim ideo dolebis, quia mali aliquid iis euenit; ſed ob incommodum tuum.

A puero] Sapientia non cadit in puerum: ſed elucere tamen in illa aetate ſigna quaedam futurae ſapientiae poſſunt. eſt igitur laudatio paullo liberalior, vt ad minuendum moerorem valeat. qualis enim de nobis opinio eſt, tales vt re ipſa nos praeftemus, operam dare ſolemus. itaque poſt laudem ſequitur admonitio; tuendam eſſe grauitatem, et conſtantiae ſeruiendum.

Incommodorum tuorum] Quod amiſeris eos, quos amabas.

Dilexeris] Eſt diligere, minus eſt, quam amare: quod patet ex illo loco lib. 9. epiſt. 14. *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantum acceſſit, vt mihi nunc denique amare videar, antea dilexiſſe: et ex altero epiſt. 1. ad M. Brutum: L. Clodius valde me diligit, vel, vt ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat; tamen hic pro amare accipitur. paullo enim ante dictum eſt, ne quid iis, quos amaſti, mali putes contigiſſe.*

Seiunctus] Cur nihil in morte mali ſit, antea demonſtrauit, vel manente ſenſu, vel amiſſo.

Tuenda] Qui tuetur, defendit: et quoniam, qui defendit, conſeruare cupit; ideo factum, vt tueri pro conſeruare capiatur, vt hic.

Conſtantiae] Conſtantia grauitatem ſequitur, vt inconſtantia leuitatem. recte igitur grauitas primum,